



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

Ad Milites.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Ambr. lib. 1. de Virginib. *Virgo DEI donum est, munus parentum, Sacerdotium castitatis. Virgo Matris hostia est, cuius quotidiano sacrificio vis Divina placatur. Ibid. lib. 2. Unaquaque in celo exultabit virgo dicens Ps. 49. Introibo ad altare DEI, immolo DEO sacrificium laudis, & reddo Altissimo vota mea, neque enim vobis dubitaverim patere altaria, quarum mentes altaria DEI. Confidenter dixerim, in quibus pro redemptione corporis Christus immolatur. Nam si corpus Virginis templum est, animus quid est? qui tanquam membrorum cineribus excitatis Sacerdotis eterni recopertus manu vaporem Divini ignis exhalat. Beata Virgines que tam immortalis spiratis gratia, ut horti floribus, ut templa religione, ut altaria Sacerdote. In hoc altari sacrificia suscipit vestra DEUS à vobis pro vestris Parentibus &c.*

Ad Milites.

UT victoriam miles obrineat, advertat causas propter quas vinci solet. Ambr. serm. 85. *Civitati non nisi propter civium peccata infertur excidium, desine peccare, & civitas non peribit. Quid fugis Patriam? si vis salvus esse tua potius peccata subterfuge: si tu peccare deseris, victus est inimicus, &c. Injustus planè & impius est Filius, qui periclitantem deserit Matrem. Mater enim quodammodo dulcis est Patria qua te genuit, qua ut fugere possis divitem te fecit. Huic incipiendum qui ad bellum procedit peccata extirpanda, hæc militem vinci faciunt, deinde amor erga Patriam assumendus, hæc duo faciunt de victoria certum. Unde audacter Ambr. serm. 86. Non potest timere Barbarum qui timuerit Salvatorem, nec potest metuere hostis impetum qui precepta servaverit, &c. Arma sunt nostra in quibus nos Salvator instruxit, oratio, misericordia, atque ieiunium. Ieiunium enim melius quàm murus tuetur. Misericordia facilius liberat*

liberat quam rapina, oratio longius vulnerat quàm sagitta, &c. Scire debet quòd Adversarii magis meritis, quàm virtute bellicà vincuntur. Peccata sunt duplicia quæ victoriam evertunt, alia militum, clamant ad cælum peccata, ut regna evertat, ut Milites disperdat. Gen. 18. *Clamor Sodomorum multiplicatus est nimis.* De quo Salvian. lib. de Gubernat. *Pulchre clamorem in se dixit habere peccata, Grandis absque dubio peccantium clamor est. quia terra ascendit ad cælum, quare autem peccata hominum quasi damnare testatur? Scilicet quia aures suas cæci dicit clamoribus peccatorum ne differatur pœna peccantium.* Et verè clamor & quasi grandis clamor quando pietas DEI peccatorum clamoribus vincitur, ut peccantes punire cogatur. *Clamabitis ad DEUM, Adjuva nos,* clamabunt è contra peccata, *Disperde illos,* &c. Sed hoc ipsum ex ore DEI præstat audire, quomodo scilicet propter peccata pereant regna. Michæ 3. *Principes ejus Jerusalem in muneribus judicabant, & Sacerdotes ejus in mercede docebant, & Propheta ejus in pecunia divinabant, & super Dominum quiescebant dicentes, nunquid non Dominus in medio nostrum? non veniens super nos mala. Propter hoc, causâ vereri, Sion quasi ager arabitur, in eam desolationem veniet mox fortissima Sion Jerosolymis. Et Jerusalem quasi acervus lapidum erit, & mons templi in excelsa sylvarum.* Jam quod attinet peccata militum.

Avaricia & luxuria præcipuè militem invadunt. S. Ambr. serm. 7. *Propter prædam militare peccatum est.* Quid propter oppressiones civium? Quomodo alacriter contra hostem procedet quem ingens sarcina restitutionis gravat? Ad avaritiam ducit luxus. Peccabat avaritiâ Judas, & navicula in qua erant discipuli Christi mergebatur. De quo Ambr. serm. 11. *Videamus qua causa quòd una eademque navicula, hic in tranquillitate doctrinam populis tribuit, ibi in tempestate discipulis*

missum

merum mortis inducit. Hec autem causa periculi, erat ibi proditor Judas, quamvis Petri fides fundaret naviculam, hujus tamen perfidia concurbabat, unius igitur delicto cunctorum merita quantiuntur. Fur erat & sacrilegus Judas, si in exercitu Judas, etiam optime instar navis compactus fuerit exercitus, et si fidem Petri secum habuerit, fluctuabit tanquam navicula in tempestate. Expertus est hoc alius victoriosus miles Ducis Josve, qui propter sacrilegium Achan non potuit contra hostem subsistere. Utatur miles ut decet suo stipendio, & non habebit opus aliena invadere. Sed dum unâ nocte anni precium profunditur, opus est de rapinis supplere. Bern. ad milites templi cap. 2. *Quis ergo o Milites hic tam non ferendus? &c. Operietis equos sericis, &c. Depingitis hastas, clypeos, & sellas, frana, calcaria, auro & argento, gemmisque circumornatis, &c. Militaria hæc sunt insignia, an muliebria potius ornamenta? Non quid fortè hostilis mucro reverebitur aurum, gemmis parcat, serica penetrare non poterit? Quid convivia, canes venatici? In hæc sanguis Pauperum exprimitur. Amos 4. Audite hic qui conteritis pauperem & deficere facitis egenos terra dicentes. Quando transibit mensis & venundabimus merces? &c. Juravit Dominus in superbiam Jacob. Si oblitus fuero usque in finem omnia opera eorum, & cap. 9. Avaritia in capite omnium, & novissimum eorum in gladio interficiam non erit fuga eis, Fugient, & non salvabitur ex eis qui fugerit. Bellatus ut liberum servetis populum, & durius tractatis quàm si in servitutem redigeretis, ut subinde esse propter sub hoste quàm sub defensore. Amos 2. Hæc dicit Dominus. Super tribus sceleribus Israël, & super quatuor non convertam eum, pro eo quòd vendiderint pro calceamentis, qui conterunt super pulverem terra capita Pauperum, & viam humilium declinant, & Filius ac Pater ejus jerunt ad puellam ut violarent nomen sanctum meum, & super vestimentis pignoratibus accubu-*

accubuerunt. Quod Castitatem attinet. Tertull. dixit lib. de Monogamia. *Quamdiu causabimur carnem? quia dixit Dominus, caro infirma, sed præmisit, & spiritus promptus ut vincat spiritus carnem, ut cedat quod infirmum est fortiori. Nam & qui potest capere capiat, dixit: id est qui non potest, discedat. Discessit & ille Divus qui non ceperat substantia dividenda egenis præceptum, & dimissus est sententia Domini.* Quare concludo verbis Bern. l. c. *Tria sunt necessaria præstanti, ut scilicet strenuus industriusque miles, & circumspectus sit ad se servandum, & exredicus ad discurrendum, & promptus ad feriendum.* Boni milites ut idem ibid. *Imminente bello, intus fræ non auro se muniunt, quatenus armati & non ornati hostibus metum incutiant, & non provocent avaritiam &c.* Equos habere cupiunt fortes & veloces, non tamen coloratos aut phaleratos, pugnam quippe non pompam, victoriam non gloriam cogitant, & student esse magis formidini quàm admirationi.

In Funere alicujus Nobilis.

Calamitates humanæ eodem nobiscum procedunt modo atque Samson cum Philistæis, exurunt agros, amicos tollunt ut ille maxillâ asini, diruunt ædificia ut ille portas civitatis Gathæ, tandem ipsas columnas Re pub. invadunt. *Apprehendit ambas columnas quibus nitebatur tota domus unam dexterâ & alteram levâ tenens. concussis fortiter columnis cecidit domus super omnes Principes, & cateram multitudinem que ibi erat.* Hoc planè hodie nobis accidit, cum N. cecidit columna cui Principes & populus innitebatur. Non tamen hæc omnino columna cecidit, sed magis stabilita est.

Habet DEUS in hoc mundo columnas majores & minores ut tolet fieri in magno palatio. Columna est civis in sua

M

domo;